AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS. REGULAE MONACHORUM
2. Hälfte 12. Jh. Seite 6r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



ergo retribuemus domino pro omnibus que retribuit nobis.
Verum ille ita benignus & clemens est ut ne retributi-
onem quidem reposcat. s; sufficit ei ut pro omnibus que
largitus est diligatur. Quis ergo tam irremediabiliter
ingratus est. ut post tanta et talia beneficia non diligat
largitorem. De caritate quidem dei ista sufficiant. Propositum
namq; est ut superius diximus non omnia dicere. impos-
sibile enim est. s; breuiter & succincte commemorare ea
que amorem dei. inserere animę & suscitare sufficiant.
Consequens iam nunc est etiam de eo mandato quod or-
dine & uirtute secundum diximus. explicare. et quidem
quoniam lex eas uirtutes que animę a creatore insite
sunt. eluet & excolat. iam superius diximus. Quia er-
go precipimur diligere proximos. sicut nos met ipsos.
uideamus si etiam inest nobis uirtus et facultas. ad huius
quoq; mandati expletionem. Et quis ignorat quoniam
humanum animal & communicabile homo est. et non
agreste aliquod ac ferum. Nichil enim tam proprium est
nostrę naturę. quam alterum alterius indigere. &
requirere inuicem. ac diligere quod requiret. Quia ergo
dominus harum in nobis uirtutum seminauit semina. sine
dubio horum etiam fructus requiret. et testimonium
nostrę erga se dilectionis. dilectionem accipiet proxi-
morum. In hoc enim inquit scient omnes quod dis-
cipuli mei estis. si inuicem diligitis. & ita in omnibus
duo ista mandata coniungit. ut etiam misericor-
dię opera que in proximo fiant. transferat in semetipsum.